



**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

2 An debeat esse persona certa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

SECTIO II.

An is, qui censura ligatur, debeat esse persona certa, & nondum per censuram ligata: ubi de iteratione & multiplicatione censuræ in eadem persona.

¹
Censuram
debere ferri
in certam
personam



Vt diximus in sectione precedente, pertinent ad capacitatem censuræ quasi remotam: hic de duabus aliis conditionibus, ut actus censuræ valide feratur necessariis, dicendum est. De quibus communiter tractant doctores, & obiter petunt nonnulla puncta moralia. Prima conditio est, certitudo personæ, in quam fertur censura. Secunda fingi possit, quod non sit censura ligata.

Circa primam dicendum est, ut censura actu liget præter hæc tenus dicta requiri ex parte eius, in quem fertur, quod in eum certa ac definita intentione dirigatur. Ratio est: quia actio non habet effectum nisi in determinato subiecto: hæc autem actio, cum naturalis non sit, sed humana, non determinat subiectum nisi ex intentione operantis: & ideo sicut supra dicebamus, ad valorem censuræ necessariam esse ex parte ferentis intentionem ligandi, ita hic dicendum est necessariam esse intentionem ligandi hunc in particulari.

² Dices interdum ignoratur persona, in quam fertur censura, & consequenter non potest in illam definite ferri. Respondetur in primis, cum hanc conditionem requirimus, non esse sensum, censuram debere ferri in unam tantum singularem personam: potest enim simul ferri in plures, in omnes tamen definite, ita ut singulis Philosophico more loquendo, singulæ censuræ multiplicentur. Neque etiam necessesse est, ut feratur in personam, vel personas distincte designatas, sed satis est, quod confuse, sub aliquo tamen certo respectu, indicent: ut, cum fertur censura in eos, qui tale furtum commiserunt: quo sensu potest hæc conditio extendi ad eam censuram: quæ iure vel statuto fertur, ut per se constat. Nam, licet dum hæc leges feruntur, nullam certam personam designent, tamen non vage, sed determinate, & distributive omnes obligat: & similiter censura ad omnes fertur sub conditione, quæ conditio, cum impletur in certa aliqua ac determinata persona impletur, & ita in illam operatur lex talem censuram, & non in aliam. Hoc ergo modo semper fertur efficaciter ad personam in se determinatam, est nobis ignota sit.

³ Tunc autem diceretur censura sententia vage ferri, quando iudex sententiam proferret excommunicando unum ex patratibus delicti supponendo eos esse plures & nullum in particulari designando: tunc enim esset inepta sententia, & prorsus nulla, utpote continens intolerabilem errorem, & aut procedens ex insufficiente intentione ad habendum effectum vel certe insufficienter illam pronuncians, & declarans, cum tamen hoc etiam necessarium sit ad talem effectum, ut in superioribus dictum est. Quod etiam confirmari potest ex simili doctrina de sacramentis: nam si intentio non sit satis determinata, & per formam explicatur cum sufficienti determinatione subiecti seu materiæ circa quam forma, vel sacramentum versatur, nihil fiet: ut in superiori tomo disp. 13. sect. 3. concl. 4. & explicando formas Baptismi, Confirmationis & Eucharistiæ dictum est: eadem autem ratio est in præfenti, quantum spectat ad necessitatem determinati subiecti, ut moralis effectio sequi possit.

Possitne quis duplici censura affici.

⁴ Solum potest interrogari circa hoc subiectum censuræ, an necesse sit eum non esse censuram ligatam: ut deinde ligetur. Quod quidem nullam rationem

Plures cen-
suræ diversæ

A dubitandi habet, quando censura sunt diversarum rationum. Potest enim excommunicatus suspendi, vel interdici, & conuerso: quia, cum hæc poenæ sint diversarum rationum, nihil impedit, quo minus in eodem subiecto suo modo infirmit, seu quod eidem personæ imponantur: non solum propter diversas causas seu delicta, ut facillime accidere potest, sed etiam propter idem delictum, si eius gravitas tanta sit, aut ad eum statum contumaciæ perueniat, ut omnem hanc poenam mereatur. Et hoc modo est frequens in usu Ecclesiæ aggravare, seu multiplicare censuras crescente contumacia, & interdum simul ferri possent ob atrocitatem delicti, sicut in iure ferri videntur in Extrauag. 3. de Privilegiis.

Rursus in censuris eiusdem rationis non est dubium, quin propter diversas causas possint in eandem personam ferri: si quis enim propter unam inobedientiam excommunicatus est, si in alia re sit etiam inobediens & contumax, poterit iterum excommunicari, nam potestas & iurisdictio non est extincta per unum actum, sed integra manet, & causa est sufficiens, & ex parte subiecti nulla est repugnantia: quæ enim assignari potest? Dices, quod is, qui priuatus est omnibus bonis, quibus per Ecclesiam priuari potest, non potest iterum eidem priuari. Vel si physice loquamur, quia duo accidentia eiusdem speciei non possunt esse simul in eodem subiecto: & præsertim duæ priuationes eiusdem numero forme. Sed hæc nihil obstat primo quidem, quia moraliter hæc considerando, censura non se habet ut pura priuatio, sed veluti quædam positiva causa, & vinculum inducens, & cogens ad hanc priuationem: sic enim iura loquuntur de censuris, ut de quibusdam vinculis, quibus homines ligantur, ut patet in ca. A nobis. 2. & aliis, de Sent. excomm. Nihil autem vetat, quominus plures causæ, & vincula adici possint ad eandem priuationem inducendam: sicut homo potest pluribus præceptis obligari ad abstinendum ab eodem actu: quæ si pertineant ad diversas causas, seu virtutes, propriissime efficient diversæ vincula, ut v.g. præceptum Ecclesiæ, vel præceptum de voto seruando. Item potest quis ad mortem condemnari diuersis sententiis, propter diuersa delicta. Item est optimum exemplum de pluribus peccatis mortalibus: nam licet primum omnino priuet gratia Dei, nihilominus secundum quantum est, ex se illa priuat, & vel propriam maculam inducit, vel ita priorē augeat, ut duobus æquiualeat per duplicem respectum ad duo peccata. Denique etiam Philosophi dicere solent, priuationem totalem per respectum ad causam posse esse maiorem, vel minorem: ergo multo magis secundum estimationem moralem poterit multiplex reputari, per habitudines ad diversas causas, seu sententias. Quod vero obiciebatur de accidentibus solo numero diuersis in eodem subiecto, neque physice est in vniuersum verum, quando accidentia ordinantur ad effectum aliquo modo dissimilem, ut alibi diximus; neque in his moralibus affectionibus, aut denominationibus illud principium procedit, quia cum sint solum respectus, vel denominationes relictæ ex actibus intrinsecis, sicut illæ actiones possunt multiplicari, ita & huiusmodi veluti accidentia moralia. Sicut potest quis esse bis doctor in eadem facultate.

Itaque dubium non est, quin affectus semel una censura, alia simili propter aliam causam interdum ligetur. In quo etiam concordant Theologi, & Canonistæ, ut videre licet in Bonaventur. in quarto distinct. 18. 2. p. distinctionis, quæst. 4. Gabr. ib. quæst. 2. art. 2. conclus. 5. Richard. ibid. artic. 5. q. 2. Alenf. 4. p. q. 2. 2. membr. 1. art. 5. Soto d. 22. q. 2. art. 2. conc. 3. Item tenent Glossæ, & Doctores in capite, Ita quod rursus, de Iudæis, ubi specialiter videndus est Abbas, & Nauarr. circa glossam victimam, notab. 11. Item in capit. Quicumque, ver. Incurrant, eod. tit. in 6. & in 6.

⁶

Bonath.
Gab.
Rich.
Alenf.
Soto.

Secl. II. Vtrum Censura bis in eandem personam, &c. 101

& in c. Engelrudam. 3. q. 4. Quo ad hoc confirmandum videntur Alensis, & alij. Sed inde non sumitur efficax argumentum, quia illa crebra anathematizatio potuit esse, vel iterata denunciationem eiusdem censuræ, ut paulo infra dicemus, vel quia successiue sæpius illa mulier excommunicata fuerat, non permanentibus simul pluribus censuris, sed iterum incidendo in contumaciam post absolutionem priorem. Qui modus loquendi frequentius in hoc sensu accipitur, cum dicimus aliquem sæpius fuisse excommunicatum. Alia sunt clariora iura, de quibus statim.

Difficultas vero superest, an in eadem causa possit eadē censura in specie iterari, ita vt vere multiplicentur. Item an ab eodem iudice, vel solū à diuersis. Nam ex dictis autoribus quidam indefinite loquuntur, & indistincte. Vnde, cum doctrinam tradant, videntur vniuersaliter loqui. Alij distincte explicant, posse multiplicari censuras propter diuersas causas, & tacite videtur alium modū excludere. Vnde Alensis, tot (inquit) sunt inferri excommunicationes, quot emergunt causæ, propter quas debet inferri excommunicatio. Et Bonau. distinguit inter iterationem eiusdem censuræ, & adiectionem nouæ: & primum dicit fieri in eadem causa ad maiore confusionem: hoc autem propter nouam, & distinctam causam. Vnde concludit idem, quod Alensis. Et idē sentit Rich. præsertim in argumento. Sed contra, Citatque cap. Cum pro causa, de Sentent. excom. Gabr. vero distinctius loquitur, dicens, Ab eodem iudice posse multiplicari censuras in diuersis causis: tamen à diuersis iudicibus, aut iuribus, tam in eadem, quā in diuersis causis, indicans ab eodem iudice non posse multiplicari censuram siante eadem causa. De iure autem non fecit mentionem in priori membro, quia per se notum est ex vi eiusdem iuris non multiplicari censuras, in eadem numero causa: quia lex non repetit suam actionem. An vero in eadem causa secundum speciem multiplicata secundum indiuiduū ex vi iuris multiplicetur censura, habet difficultatem statim tractandam. Deniq; Soto vltra prædictos addere videtur, etiam in eadē causa, & ab eodē iudice circa eandem personā multiplicari censuras eiusdem rationis, propter perseverantiam in eadē contumacia. Sic enim ait, Excommunicatus potest iterū excommunicari, non solum propter nouū crimen, verū & propter idem, aggravatū censuris ad maiorem terrorem, & confusionem, &c. Vbi licet non exprimat aperte ab eodem iudice: sine dubio tamen hic est eius sensus, nam in similibus casibus ab eodem iudice solent censuræ aggravari.

Verum tamen animaduertendum est ad multiplicationem censuræ nō satis esse, quod pluries aliquis denuncietur, seu publice in Ecclesia anathematizetur: quia aliud est denunciari, aliud censura ligari: nam denunciatio non addit nouū vinculum, vt dixit Pontifex in capite Pastoralis, S. Verum, de Appellatione. Et ideo, quamvis denunciatio multiplicetur, non sequitur censurā multiplicari. Quod bene notauit Nauarr. in dict. ca. Ita quorundam, ita exponens textū illum, & cap. Ad liberandum, de Iudæis. Qui reuera est proprius illorum sensus. Item optimum argumentum à posteriori est, nam qui pluries hoc modo denunciatur, non indiget pluribus absolutionibus, imo, si à superiore facultatem petat, vt absolui possit, necesse non est, vt explicet illam multiplicem denunciationem, quæ accidentaria est: esset autē necessarium, si multiplex esset censura, eam declarare vt statim dicitur. Itē ob eandem causam excommunicatus à iure, & denunciatus ab homine, non est bis excommunicatus, & ideo duplici absolutione non indiget. Atque hoc modo fieri existimo, quoties ab eodem iudice, ob eandem perseverantem contumaciam in eodem delicto, censura aggravari dicitur per multiplicem promulgationē, Fr. Suarez. Tom. 5.

A seu denunciationem anathematis: non enim tunc multiplicatur censura, neque ille indiget multis absolutionibus. Imo nec fieri potest, vt absolatur ab illa censura, quatenus semel denunciata, vt sic dicam, & quod maneat secundum aliam rationem, vel denunciationem: est ergo tunc vna tantum censura. Quod satis constat ex vsu Ecclesiæ. Quocirca, licet speculatiue rem considerando, non appareat clara repugnantia in hoc, quod ab eodem iudice circa eandem personam, in eadem causa, id est propter idem delictum, mutato solum statu causæ per augmentum contumaciæ, censura multiplicetur secundum eandem speciem, tamen moraliter rem considerando, (vt expedit) opinor id nunquā fieri iuxta vsum Ecclesiæ: ideoque posse dici absolute nō posse, vel saltem non debere fieri.

B At vero è conuerso, quando diuersi tituli cōcurrunt ad ferendam censuram, ita vt vnusquisq; per se sufficiat, & ex intentione iudicis illam operetur, tunc non solum à diuersis iudicibus, sed etiam ab eodem, nec solum successiue, sed etiam simul: imo non solum diuersis sententiis, sed vna & eadem vtrumque delictum exprimente, possunt censuræ circa eandem personam multiplicari. Hæc omnia ex iure probari possunt: nam in cap. Officij, de Sent. excom. supponitur quidam esse excommunicatus propter plures excessus à pluribus prælatis in eum potestatem habentibus: & significatur, à nullo eorū posse absolui, scilicet integre & omnino: nisi alteri etiam satis feberit, & ab eodem simul absolatur. Et in c. Capitulum sanctæ Crucis, de Rescript. refertur, excommunicationem, & suspensionem, bis latam esse in eisdem, à diuersis iudicibus, propter diuersas causas. Et in Clem. 2. de Sent. excom. excommunicatio noua fertur in eos, qui contra priorem publicam excommunicationem, admonitionem, sacris inter sunt: sicut enim sacerdos excommunicatus celebrans irregularis fit, ita excommunicatus, & publice denunciatus propter aliquod delictum, agens tali modo contra excommunicationem, noua excommunicatione ligatur, adeo diuersa, vt hæc sit ad Papam referuata, quamuis prior non fuerit.

C Ex quo textu colligere licet, posse aliquem propter diuersas causas excommunicari ab homine, atque etiam bis à solo iure: quod est manifestum, quando iura sunt diuersa, & de rebus distinctis: nihilq; obstat, quod ab eodem legislatore lata sit, vt per se notum est. Et eadem ratione idem accidere potest in sententiis latis ab homine, vt sumi etiam potest ex vnica Extravaganti de Schismaticis, in illis verbis, Plurimum excommunicationum sententis innodauit. Et ratio omnium clara est, quia, vt censure multiplicentur, sufficit causarum multiplicatio, siue potentia agens sit vna, siue multiplex: nā & à multis, & ab vna possunt plures effectus, & actiones prodire.

Quod verò per vnā sententiam ab eodem in eundem prolata, si tituli sint diuersi, plures etiam censuræ fiant, sumitur ex c. Cum pro causa, de Sententia excommunicationis, ibi, Si vobis confiteris Archidiaconum ob duplicem causam excommunicatum fuisse, &c. ibi enim dicitur, absolutum ab illa sententia secundum respectum ad vnā tantum causam, nō esse absolutum à censura fundata in alia causa: signum ergo est censuras fuisse diuersas, cum potuerit vna auferri, & alia manere. Verum est ibi non dici expresse priorem absolutionem fuisse validam, sed illum mansisse excommunicatum, donec pro alia causa satis faceret: tamen, cum Pontifex non requirat nisi satisfactionem pro alia causa, supponere certe videtur aliud vinculum fuisse ablatum. Ratio vero est, quia licet illa sententia verbis videatur vna, significatione tamen & efficacia est multiplex: & ideo potest plures effectus operari: sicut, cum quis vnica forma plures baptizat, plura cōficit sacramenta, & plures effectus confert. Similiter, si quis vno verbo

An multiplicatis transgressionibus legis ipso iure
censuram ferentis, multiplicetur
censura.



Vperest dicendum, an in censuris la-
tis à iure multiplicetur censuræ mul-
tiplicatis transgressionibus eiusdem
legis, vt, si quis bis percussit clericum
moralis interruptione, bis sit excom-
municatus, & sic de aliis. In qua re generalis, & re-
cepta doctrina est, quoties nouum peccatum cōtra
huiusmodi legem committitur, nouam censuram
incurri, è contratio vero, si peccatum sit vnum tan-
tum, licet continuata mora, & per varias actiones
fiat, vnam tantum censuram incurri. Ita sentit Na-
uar. in Summa, capite sexto, n. 17. & 18. & late Vgoli-
nus tab. 1. ca. 16. §. 3. n. 4. & sequent. vbi multa ad hoc
adducit, quæ nec necessaria sunt, nec efficacia. Ratio
enim tota consistit in vnitare vel multitudine trans-
gressionum: nam, si transgressio vna est, non potest
censura esse nisi vna: quia lex imponit censuram pro-
pter transgressionem: ergo, si transgressio est vna
moraliter & formaliter, vt sic dicam, etiam censura
vna erit. Et propter oppositam rationem, si trans-
gressionibus plures fuerint, etiam censuræ multipli-
cabuntur: nam lex efficaciam habet cōtra singulas,
siue alix præcesserint, siue non; vt patet manifeste,
nam, si quis fuisset absolutus à censura cōtracta per
primam transgressionem, & alia iterum commisisset,
sine dubio in nouam censuram incidisset: ergo i-
dem erit etiam si prior censura ablata non fuerit, cū
ob solam multitudinem in eodem subiecto non re-
pugnent, vt iam ostensum est.

Totum opus est in declarando, quando trans-
gressionibus sint numero distinctæ, nec ne: de hac
enim transgressione nunc agimus: nam quando di-
stinctio est specifica, siue sumatur ex totali diuersi-
tate obiectorum, & actuum, siue ex circumstantiis
mutantibus speciem in eodem obiecto & actu, tunc
& res facilis est, & transgressionibus non sunt contra
idem formaliter præceptum, licet naturaliter vnū
esse dicatur, vt statim amplius explicabo. Itaque v-
nitas vel pluralitas numerica transgressionis in hac
materia eadem proportionem explicanda est, quā il-
lam supra declarauimus in ordine ad integritatem
confessionis. Quod eo hic erit facilius, quo hæc
transgressio præcipue consideranda est in actu ex-
teriori, in quo causa censuræ consummatur.

Duobus autem modis potest hæc vnitas vel di-
stinctio spectari. Primo ex interruptione, vel conti-
nuatione actus: nam, quamdiu actio sine morali in-
terruptione continuatur in ordine ad consumman-
dum eundem effectum, transgressio vnica est, vt si
quis per aliquod tempus verberet clericum, vt pa-
tet ex c. Cum pro causa. de Sent. excommun. Quando
vero moraliter interruptitur actio, & altera post-
ea inchoatur, noua est transgressio. Quæ autem sit
interruptio moralis, partim ex mora temporis, par-
tim ex modo & circumstantiis, & ex actionibus in-
terpositis, pensandum est, vt alibi latius dixi.

Secundo potest hæc vnitas, vel distinctio consi-
derari ex parte obiecti seu materiæ circa quam ver-
satur peccatum, seu transgressio. Et tunc difficilius
est distinguere peccata, quia potest cōtingere, vt si-
ne interruptione moralis aliquis percutiat vnum
clericum, & statim incipiat percutere alium: vbi, si
respicimus ad imperium operantis, & cōtinuationem
actionis, videtur esse tantum vna transgressio
canonis, Si quis suadente. Si autem respiciamus ad
personas offensas, videntur esse diuersæ iniuriæ: i-
demque ob similem rationem erit, si vno scitu plu-
res interficiat. Difficile autem est illas existimare di-
uersas transgressionibus, quibus distinctæ censuræ re-
spondent.

verbo absoluat à pluribus censuris, plura vincula A
tollit, vnde passim possunt dici plures solutiones:
quamuis actiue vna absolutio videatur.

Oportet tamen, vt dixi, singulos titulos seu cau-
sas excommunicandi per se sufficientes esse: alioqui
non erunt plures, sed partialiter componentes v-
nam causam totalem, cui censura vnica responde-
bit. Nec satis erit in se esse sufficientes, sed oportet
bit, vt tales assumi, ex intentione ferentis censuram:
quia sententia non operatur vltra intentionem iu-
dicantis. Vnde necessarium etiam est, vt talis inten-
tio sufficienter in sententia exprimat: quia alias
odiosa sententia in mitiorem partem explicanda
erit. Tunc autem maxime videtur hoc constare,
quando sententia magis est denuntiatiua seu decla-
ratoria, quam illatiua censuræ. Et talis videtur fu-
isse in casu dicti. c. Cum pro causa, nam duæ causæ ibi
numerata, scilicet violenta manuum iniectio in
clericum, & violatio immunitatis Ecclesiæ, tales
sunt, vt vnæqueque habeat suam censuram ipso fa-
cto annexam: & ideo, qui in vtroque criminosis de-
claratur, duplici censura innodatus id nunciatur,
etiam si vnica sententia, seu denunciatione id fiat:
In censuris vero ab homine illatis rarius id accidit.
Quando vero circa singulas causas diuersæ, & suffi-
cientes præcesserunt monitiones sub comminatio-
ne talis censuræ, & circa singulas præcessit sufficiens
contumacia, tunc, licet per modum vnus videat, ut
ferri sententia de omnibus: re tamen vera accom-
modatur materia, & rei subiectæ, ac proinde plures
censuras operatur. Si vero aliter fieri contingat, cē-
sura erit vna respiciens plures illas causas per modū
vnus, quæ proinde auferri non poterit, neq; in to-
tum, neq; ex parte præcedente sola satisfactione pro
vna causa, nec per absolutionem in illa satisfactio-
ne fundatam, sed erit nulla absolutio, nisi adquate
omnes illas causas respiciat, vt sumitur ex Abbate,
& aliis in dict. c. Cum pro causa.

Abbas.

13
Pro eadem
materiali
causa pos-
sunt à di-
uersis supe-
rioribus di-
uersa censu-
ra ferri.
Abbas.

Præterea addendum est, à diuersis iudicibus, seu
superioribus posse in eundem distinctas numero
censuras ferri propter causam quodammodo ean-
dem, & quodammodo diuersam: nam materialiter
apparet eadem, formaliter autem diuersa esse vide-
tur. Hoc patet primo, quando vna censura est à iure,
& alia ab homine. Potest enim aliquis simul, & pro
eodem delicto, à iure, & ab homine excommunicari:
vt notauit Abbas in capite Grauem, de Sententia
excommun. numero quinto, quamquam iura, quæ
affert, id non probent: tamen, cum ius non adimat
homini potestatem, vel iurisdictionem, poterit i-
pse censuram ferre, non obstante censura iuris, si ad
terrorem vel exemplum aliorum ita expedire cen-
suerit. Tunc autem, licet delictum vnum esse videat-
ur, contumacia formaliter est diuersa: nam censu-
ram à iure latam incurrit quis, hoc ipso quod ius
transgreditur: Vt vero postea ab homine ob idem
delictum excommunicetur, necesse est: vt ab eo mo-
neatur, ei que sit contumax: est ergo ibi alia, & alia
contumacia, proprie ac formaliter eas consideran-
do. Idem pari ratione est in sententiis censuræ, latis
à diuersis superioribus habentibus propriam iuris-
dictionem in solidum, si tales sint, vt vltus vnus, vel
præoccupatio non impediatur vltus alterius. Tunc e-
nim vnusquisque poterit vt iure suo, & ferre cen-
suram non obstante censura lata ab alio: oportebit
tamen vt præcedat respectiua contumacia, vt sic di-
cam, præmissa propria vnus cuiusque monitione.
Idemque proportionaliter est in sententiis à iure
latis, si iura, & præcepta sint formaliter diuersa:
qualia erunt, si vnum sit ius commune, aliud parti-
culare statutum ordinarij, dummodo constet
nouum condere ius, & nouam pœ-
nam imponere.
